



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

7 Quæ sit radix & origo defectus causa liberæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

nem finis iudicium de illa non determinabit voluntatem, ut omnino tale velit medium.

Ex quo tandem constat quid dicendum sit, quando vnum tantum adest iudicium: nam etsi intellectus de vno tantum obiecto cogitet, & illud iudicet esse conueniens & dignum ut appetatur, & quantum potest practice inuitet voluntatem ut illud appetat: adhuc potest voluntas pro sua libertate illud non amare, quia ad non exercendum actum præcisè non indiget alio iudicio, sed satis est, ut per illud, quod homo nunc habet, non iudicet hoc bonum hic & nunc esse sibi necessario diligendum. Vnde potest tunc voluntas vel suspendere actum, vel diuertere intellectum, ne de illo obiecto cogitet, vel applicare illum ut de tali obiecto diligentius inquireat quanta sit eius bonitas, & an habeat coniunctam aliquam malitiam, vel disconuenientiam, ob quam possit non solum non amare illud, sed etiam odisse. Nunquam ergo iudicium ut sic determinat omnino voluntatē, nisi aliqui obiectum ob excellentiam bonitatis eā vim habeat, quod inferius attingemus. In hunc ergo modum optime soluitur tota difficultas proposita, nostraque libertas egregiè defenditur; & dilucide intelligitur quomodo in voluntate formaliter sit, & quomodo ad illam, & ad vsum eius operetur intellectus.

SECTIO VII.

Qua sit radix, & origo defectus causa libera.

Ed adhuc supersunt soluendæ tres difficultates tactæ in quarta ratione proposita in sectione secunda, & confirmationibus eius. Prima est si voluntas pro libito possit velle aliquid contra iudicium rationis, quomodo verum sit dogma illud Philosophorum, & Theologorum plurium, non posse esse defectum in voluntate nisi præcedat in iudicio, ut quod erroneum sit, vel saltem imprudens, & inconsideratum. Quod principium tradidit Aristoteles libro tertio. Ethicor. capite primo 3. & 5. & libro 4. cap. 12. & 13. & libro 7. capite 3. & libro 3. de Anima. text. 5. ex quibus locis sumptum est illud axioma: *Omnis peccatus est ignorans.* Quod etiam Sapiens docuisse videtur Prouerb. 14. dicens. *Errant qui operantur malum.* Et confirmari potest, nam aliàs contingere posset, hominem semper prudenter iudicare per intellectum, & tamen esse vitiosum in voluntate: quod est contra omnem moralem Philosophiam & experientiam.

In hac difficultate Scotus & alii authores non reputant inconueniens concedere, posse esse moralem defectum in voluntate, nullo præexistente defectu in intellectu, quia ad deficiendum moraliter sufficit libertas voluntatis creatæ quidquid intellectus operetur, ut patet ex Scoto in locis supra citatis, cui consentiunt Gabriel & Nominales communiter in 3. distinctione 36. & Almain. tractatu 3. Moralium cap. de Prudent.

Et hanc fere sententiam sequitur Adrian. quod lib. 4. eam vero limitat, vel exponit, dicens, eum, qui male operatur, semper habere iudicium practicum, quo simpliciter iudicat consentaneè ad suum affectum, hoc sibi esse faciendum, seu hoc oportere à se fieri, supposito tali affectu, licet aliàs nihil ignoret, neque erret circa iudicium de omni honestate & malitia obiecti seu operis.

Veritatem hanc limitatio nec videtur consequenter addita, nec plene satisfacere, quia non est necessesse ut omnis prauus affectus voluntatis procedat ex illo iudicio practico, quo aliquid simpliciter iudicatur faciendum consequenter ad priorem affectum. Aut enim ille affectus seu appetitus, qui præcedit ta-

le iudicium practicum, est elicitus à voluntate; aut significat tantum propensionem naturalem, aut etiā habitualement voluntatis. Neutro autem modo necessarium est quod præcedat talis affectus, vel iudicium practicum illi conforme. Sumo enim primam voluntatem prauam, quæ est in homine vel angelo prius bene affecto, & disposito etiam in naturali, vel habituali inclinatione, in eo non præcedit iudicium practicum ex aliqua priori affectione vel mala, vel ad malum inclinante.

Responderi potest, etiam tunc præcedere aliquam inclinationem naturalem, vel elicitam, quæ licet in se mala non sit, tamen quia homo ex illa ita se duci finit, ut non prudenter sed inconsideratè iudicet aliquid sibi esse faciendum vel amandum, potest esse occasio peccandi. Ut v. g. in exemplo quo Adrian. vtitur, si quis habet affectum liberandi hominē à morte, & deinde intelligat non posse illum liberare nisi mentiendo, etiam ille prior affectus actualis & elicitus, non sit malus, potest homo iudicare absolutè, consentaneè ad illum effectum sibi esse mentiendū. Similiter ex naturali amore sui non malo, vel etiam non elcito, iudicat aliquis hoc bonum delectabile sibi esse prosequendum. Atque in hunc modum ante omnem actum malum moraliter, & ante primum affectum prauum præcedit semper illud iudicium practicum, quo aliquod obiectum minus bonum, simpliciter proponitur ut amandū, eligendū, aut preferendum etiā alteri maiori bono: quod iudicium dicitur practice falsum, quia non est conforme appetitui recto.

Sed adhuc superest difficultas, quia nunquam satis probatur, esse necessarium hoc iudicium ita absolutum, ut voluntas moueatur; quod supra dicebam, non esse necessarium iudicium de obiecto amando, sed de amabili, nec de eligendo sed de eligibili, nec semper esse necessarium iudicium comparatiuum (ut sic dicam) scilicet, hoc esse eligibile præ aliis, sed sufficere absolutum, scilicet, hoc esse eligibile aut vtile. Vel si sit comparatiuum, potest esse cum æqualitate, vel cum excessu non simpliciter, sed in tali ratione boni, puta delectabilis, &c. v. g. si ex intentione sanitatis consequendæ quis consulat de duobus mediis, & iudicet utrumque esse aptum & vtile: hoc vero esse honestius, illud autem delectabilius, simulque actu iudicet secundum rationem aut legem virtutis illud esse præferendum: iuxta inclinationem autem corporis aut sensus hoc esse anteponendum: nullum aliud iudicium practicum requiri videtur ut voluntas suo arbitrio eligat aliquod illorū: nulla enim necessitas alterius iudicii explicari potest: nam per illa quæ diximus iam est sufficienter propositum obiectum, & iudicium, solum requiritur ut proponat obiectum, ut supra dictum est ex sententia D. Tho. quæ etiam habet 1. 2. q. 82. a. 4. & optimè qu. 22. de verit. a. 11. ad 5. & ar. 12.

Et potest hoc amplius dedarari, nam hoc iudicium absolutum, hoc est faciendum (ut aduertit Adrianus supra, & est valde notandum ad intelligenda omnia quæ diximus) tres potest habere sensus. Primus est ut solum dicat futuritionem actus, ut cum dicimus Petrum esse eligendum ad Episcopatum; & hic sensus est impertinens ad actiones morales, ut per se constat. Secundus est, ut significet debetum legis, & honestatis. Et hic sensus etiam est impertinens in præsentia, quia clarum est non esse necesse ut omnis qui libere operatur, sic iudicet, aliàs oporteret ad operandum malū habere iudicium hæretici, quale esset iudicare de tali actu, esse faciendum in illi sensu. Tertius est ut significet necessariam consecutionem vnius ex alio, seu necessariam connexionem subsequenti operis cum priori proposito, vel intentione. Quo modo, qui decreuit vindictam sumere à inimico, oblata occasione statim iudicat esse occidendū. Et hic sensus magis ad rem spectat, tamē etiam videtur euidēs, tale iudicium non semper esse necessariū ad operandum,

V.

VI.

VII.

dum, vel bonum, vel malum: quia non semper intercedit illa necessaria connexio inter opus quod faciendum iudicatur, & aliquem antecedentem affectum, ut argumenta facta satis probant.

VIII. Addere ulterius possumus quartum sensum, nimirum ut significet absolutam (ut ita dicam) hominis resolutionem de tali opere exequendo, aut obiecto volendo. Et hic actus, si attente res consideretur, non potest antecedere decretum liberum voluntatis, sed subsequi, tum quia illud iudicium in eo sensu ex vi consultationis non potest inferri ex aliquibus præmissis, quæ solum ostendunt ex parte obiecti bonitatem, aut utilitatem, non hominis resolutionem. Tum etiam, quia illa resolutio est libera, & in re non est aliud, quam electio vel executio libera: nullum enim aliud obiectum illius iudicii in eo sensu intelligi potest, non posset autem homo verè iudicare de tali resolutione libera, nisi iam illam haberet. Tum denique quia cum illud iudicium absolute liberum sit oportet ut ex aliqua voluntate libera oriatur: non est autem alia voluntas libera unde oriri possit, nisi illa qua homo decernit facere id quod sic iudicat sibi esse faciendum: ergo in nullo sensu verum est, iudicium illud practice falsum necessario antecedere quamcunque pravam deliberationem voluntatis.

Questionis resolutio.

IX. QVocirca in proposita difficultate dicendum censéo, posse nos loqui de iudicio dispositione, aut defectu intellectus, qui antecedit deliberationem liberam voluntatis, vel qui subsequitur saltem ordine naturæ. Item sermonem esse posse aut de necessitate Physica, & absoluta, ut voluntas operari possit, vel de necessitate morali secundum ea quæ moraliter loquendo semper accidunt.

X. Primò ergo non existimo absolute necessarium ad operandum malum per voluntatem, ut præcedat defectus erroris in iudicio intellectus, vel speculativo, vel practico. Quod mihi satis probant argumenta facta; & hoc faciemur sequi ex illo principio, quod nullum iudicium intellectus per se sufficit ad determinandam voluntatem. Neque oppositum fundari potest in verbis Aristot. cum ipse non de errore, sed de ignorantia loquatur. Neque in verbis Sapientis, tum quia non loquitur de errore antecedente voluntatem, sed potest intelligi de subsequente, ut iam dicam: tum etiam quia Adrian. illa verba exponit, & non male, de errore morum, non intelligentiæ, sicut errare dicitur qui discedit à recta via, etiam si intellectu non habeat iudicium falsum.

XI. Secundò assero, moraliter loquendo, nunquam voluntatem labi, quin præcedat in intellectu aliquis defectus, saltem inconsideratio aliqua plurium rationum vel motuorum, quæ possunt voluntatem continere ab eo effectu in quo peccat. Hoc satis probat experientia, & de hac inconsideratione intelligi potest Philosophus: nam hæc inconsideratio dicitur quædam ignorantia practica. Imò de illa interpretatur D. Thom. verba Sapientis, 1. 2. quæstione 78. art. 1. ad primum. Quia iudicium de agendis vel appetendis absolute prolatum um tali inconsideratione quidam error practicus est: nam est actus imprudens, & de se difformis appetitui recto. Non intelligo autem esse necessarium etiam moraliter, & secundum id quod regulariter accidit, ut iudicium hoc sit vel formaliter comparativum, scilicet hoc esse eligendum præ alio; vel ut formaliter sit de obiecto ut omnino diligendo vel faciendo in aliquo sensu ex supra positis: contra hoc enim sufficienter procedunt argumenta superius facta, sed intelligo moraliter ac regulariter intervenire iudicium quo absolute iudicatur hoc obiectum, vel hoc opus hic & nunc esse conveniens ob delectationem vel honorem, vel aliam similem rationem, & dignum vel sufficiens ut hic &

nunc expectatur. Hoc enim iudicium sufficit ut voluntas moveri possit, ut latè probatum est, & infra dicam in disputatione de causa finali. Frequenter autem habetur tale iudicium illo modo absolute & simpliciter, nam regulariter non habentur simul plura iudicia, nec comparantur varia obiecta inter se: nec plures rationes boni & mali eiusdem obiecti: imò licet hæc collatio aliquando antecedit, in eo momento quo homo libere vult obiectum pravi, regulariter avertit oculos mentis ab aliis rationibus, & ad illam attendit, quæ moveat voluntatem ad talem actum, & ita concipit prædictum iudicium. Et hoc satis est, ut illud censeatur practice erroneum; nam virtute includit comparisonem, & prælationem illius obiecti ad alia, & consequenter includit difformitatem ad appetitum rectum.

Addo vero tertio probabile esse ex consensu libero voluntatis circa res agendas, ex necessitate sequi in intellectu iudicium illud practicum de eisdem rebus, quo simpliciter iudicatur hoc esse agendum, in tertio & quarto sensu supra declarato. Quod si hoc verum est, ratione talis iudicii merito dici possunt errare semper, etiam secundum intellectum, qui operantur malum, non errore speculativo, sed practico, neque errore qui liberum consensum antecedit, sed qui ex illo sequatur. Dices, Si tale iudicium nullo modo antecedit consensum liberum: ergo non ponitur ut repræsentet voluntati obiectum, neque inducat illam ad consensum: ad quid ergo est necessarius talis actus? Respondetur, videri necessarium primo ex naturali sympathia & consensione harum potètiarum, quæ necessaria fuit ut homo possit melius exequi quod faciendum decernit. Deinde, quia prius tempore vel natura quam homo consentiat, non scit se consenturum: & ideo necessarium est, ut statim ac consentit, sciat, & (ut ita dicam) sibi met notificet seu promulget suum consensum: hoc autem fit per illud iudicium.

Et hinc fit ulterius, ut si ille liber consensus sit de aliqua re agenda, & ideo per aliquam actionem sit executioni mandandus, statim intellectus omnino practice iudicet id esse agendum; & hoc est imperium, quod D. Thomas ponit in intellectu post efficacem electionem voluntatis. Si autem consensus voluntatis sit per simplicem amorem vel delectationem sine ordine ad aliam actionem exequendam, tunc in intellectu non sequitur iudicium de aliqua re agenda, quod sit quasi impulsivum ad opus: sequitur tamen iudicium de tali consensu ut iam exhibitio, & dici potest quasi quædam scientia approbationis, quæ homo ex vi pravi consensus liberi, quasi approbando illum consensum, practice iudicat id sibi esse diligendum. Illud tamen non potest dici imperium respectu talis consensus voluntatis, quia imperium respicit actum subsequenter: non enim imperatur quod iam factum est, sed quod faciendum est, ut recte notat Divus Thomas 1. 2. quæst. 17. articulo 3. Atque hæc videntur satis de illa prima difficultate pro huius loci opportunitate.

SECTIO VIII.

Ad quos actus sit indifferentia in causa libera.

SEcunda difficultas superius tacta erat, quomodo voluntas dicatur potentia formaliter libera, cum præcipuis actibus suis inveniatur non libera. In qua difficultate, duæ quæstiones insinuantur. Una est, an voluntas possit quosdam actus libere alios verò ex necessitate elicere. Alia est, si verumque potest, quosnam actus libere, quosque necessario exerceat.